



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

Virandvs Ex Comitibvs Vandelbvrgiensibvs Abbas Heremi Quartvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545



VIRANDVS EX CO-
MITIBVS VANDEL.

BVRGIENSIBVS ABBAS
HEREMI QVARTVS.



IX VRBE, & Italiã copias deduxerat Otho, cum ad ingenium Romani rediere: Gregorij electionem coactam, neque pro antiquã libertate criminantes, Crescentioq; in partes traducto, breui Pontificem Romã pepulere, substituto Ioanne Episcopo Placentino. Gregorius ad Othonem concessit, quoque in loco res Romana haberetur pluribus edocuit. At is, nullã interpositã morã, quam maximum potuit toto Imperio delectum habuit, annoque jam exeunte, Romam versus, nunquam intermissis itineribus, tetendit. Ne cum co-

mitati

A. D. N.
CC L. D.
XCVII.

mitari posset Cunradus I. dux Allemanniæ mors obstitit. Defunctus est xiiii. Kal. Septembris, fidus quoque, ut vidimus, Heremi fautor, & protector. Otho Allemanniæ ducatum dedit Hermanno II. propinquo suo, de quo supra etiam commemorauimus. Romam cum venisset, urbem omnibus copijs circumfedit, tantumque terrorem incussit, ut, nullo per trepidationem satis resistente, breui potitus sit, Ioanne, & Crescentio in molem Adriani, cum primoribus nonnullis elapso, quam quidem Crescentius tantis operibus, & munimentis firmauerat, ut tamquam fundatore multis postea annis ab eo acceperit, tenueritque nomen. Pluribus per varias oppugnationes consumtis diebus, cum ex Imperatoris pertinacia spes obsessos iam deseruisset, & rursus clementiâ Principis ob oculos versaretur, deditionem postremo fecere. Et Ioannes quidem, oculis erutis, ad perpetuos carceres in Germaniam relegatus est, Crescentium verò, capite amputato, cum alijs pluribus in crucem sustulit. Talem finem sortitæ vanæ, & ambitiosæ horum infelicium cogitationes. Gregorius sedi, & pontificiæ dignitati restitutus, vndecimo quàm expulsus fuerat mensè. Sunt qui eum, hoc tempore, Romanorum superbiæ comprimendæ, & vlciscendis iniurijs simul ornamento suæ præ ceteris nationis, Electores Imperij vii. consensu, & voluntate Othonis Imp. instituisse prodiderunt, super qua re Auctorum opiniones neque contendere, neque refutare instituti nostri ratio permittit. Ceterum neque tum inter tot rebellium, Italiæq; & Urbis turbas, & dissensiones Heremitarum immemor Otho. Dum Romæ commoratur, sollicitante nullo, suapte pietate, & affectione, illis multa apud Rhetos, aut iam potius in Vindelicia (Algouiam nunc vocant, pro Alpingouia, quatenus se in alpes erigit porrigitq; , loca concessit, hoc diplomate, Crescentij morte, & supplicio celebri.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otho diuinâ fauente clementiâ, Romanorum Imperator Augustus. Omnium fidelium sanctæ DEI Ecclesiæ, nostrorumq; presentium, & futurorum nouerit vniuersitas, Qualiter nos ob reme-

K dium ani-

dium anima nostra, parentumq; nostrorum Ecclesie sancte DEIGENITRICIS MARIE, in loco MEGINRADES Cella nuncupato, constructa, dedimus quatuor mansos, in villa Biluueshusa dicta, in Comitatu Uualterii Comitis, in pago quoq; Viluesgeuue sitos, atque easdem hobas, cum omnibus utensilibus, aris, adificiis, terris cultis, & incultis, agris, pratis, campis, pascuis, siluis, venationibus, aquis, aquarumue decursibus, viis, & inuis, aliisque appendiciis, que adhuc dici possunt, Eadem sancte genitrici DEI MARIE in proprium donauimus, eo tenore, ut perpetualiter ad usum monachorum eiusdem loci permaneant. Et ut hac donatio stabilis perseueret, hanc paginam sigillari iussimus, manuque propria, ut videtur infra, corroborauimus.

Signum Domini Ottonis inuictissimi
Imperatoris Augusti.

Hildibaldus Episcopus, & Cancellarius vice Vuilligisi archiepiscopi recognoui.

Data III. Kalen. Maij. Anno Dominica Incarnationis. DCCCC. XCVIII. Indictione XI. Anno tertij Ottonis regnantis XV. Imperij secundo. Actum Roma quando Crescentius decollatus suspensus fuit.

Restituto, illo, quo diximus, modo, Vrbi pontifice, tranquillâ Italiâ, rebus secundantibus, rursus in Germaniam reuersus est. Anno sequenti, alij anno antecedenti maluit, defunctus idem Gregorius optimus pontifex successorem Siluestrum II. Othonis Imp. latinis quondâ literis doctorem accepit. Eodem tempore factus terræ motus maximus, varia notata prodigia, cometes quoque visu horrendo variè mortalium animos adfecere. Eodem anno exeunte, vitam etiam deniq; exiit Adelheidis Augusta, ætate exactâ, de cuius laudibus, & sanctitudine clarum ex eo testimonium, quod pleriq; inter beatas numerent, colantq;. Eius vitam postea trademus. Sepulta est Saletione ad Rhenum infra Argentoratam monasterio ibi à se condito, quod in Canonicam haur

multis

A. D. N.

CCID.
XCIX.

A. D. N.

CID.

multis ante annis conuersum. Quantis vero beneficijs Heremita profecuta sit, quamque assiduam, & liberalem nostri se monasterij patronam, & fautricem præbuerit, multis hæcenus exemplis ostendimus, merito vt cum Othone M. marito fundatrix præcipua habeatur, memoriaque sempiternâ, & anniuersariâ apud nos excolatur. Mortem obiit xvii. Kal. Ianuarij, aut potius secundum antiqua nostra Kalendaria .xvi. Ditmarus huius temporis scriptor ponit xiv. Kalend. Ian. anno cccioxcviii. Ait enim, *Hoc eodem anno (cccio. xcviij.) decimo quarto Kal. Ian. tertij Othonis Imp. auia, primi verò Othonis uxor gaudens moritur, adificatâ ciuitate Olsa, (corruptè, pro Selsa, antiquis Saletio) collectis idem monachis. Huius fideli seruitio iusta recompensans premia Dominus ad tumbam eius plurima hodie operatur miracula.* Vitam eius pluribus venerabilis Odilo abbas Cluniacensis perscripsit. Erat Imperator Otho III. licet ætate iuuenili, tantæ virtutis, & integritatis, vt nihil impensius ageret, quam quæ in bonum publicum totius Imperij, & Italiæ præcipuè felicitatē, & Romanæ vrbs decus, & reparationem verterentur. Itaq; adsumtis, quâ tum vsus, & splendor, dignitasq; poscere videbatur, extoto Imperio primoribus, Romæ, tamquam apud orbis reginâ, sedem figere perpetuam constituit. Et urbem sanè aliquandiu summâ pace, & iustitiâ habuit, donec, nullâ idoneâ causâ, aut occasione, facto ex plebis R. consuetudine ingenti tumultu, anno millesimo primo, & ad arma, qui libertatem veterem vellent, convocatis, in Imperatorem nihil tale opinantem, aut expectantem impetum Romani fecere, oppressissentque Principem innocentissimum, crudeli exemplo, nisi Heinricus dux Bauariæ, & Hugo marchio Italiæ per pacti simulationem ipsum eripuissent, multis tamen ex aulæ familiaribus trucidatis, alijs fædè multatis, & vulneribus fædatis, partim in vincula raptis. Dum copias, quibus injuriam vlciscatur, conficit Otho, paucis post diebus, ægritudine, an Crescentij viduæ dolo Materni defunctus est, v. Kal. Februarii anni millesimi secundi. Eius mortem, quia absque hærede decesserat, secuta super

A. D. X.

C10. I.

A. D. N.

C10. II.

A. D. N.
C12. III.

A. D. N.
C12. IV.

Imperio cōtrouersia. Sed Henricus dux Bauariæ tamquam proximus, quippe qui eodem ab Othone M. & Saxonum Imperio, quo, qui excefferat, Otho consanguinitatis, & originis gradu erat, ornamenta Imperialia sibi vindicauit, & ab Viligiso Maguntiacensi archiepiscopo, & archicapellano rex inunctus est. Mox in Hermannum Allemanniæ ducem qui priores, aut æquales, cum eo Imperij partes ambiebat, exercitum duxit, prælioque, anno millesimo tertio, factò, superior fuit. Eodem tempore, mortuo Siluestro II. successit Ioannes XII. & eodem pariter post mensem V. extincto, Ioannes XIX. nostri Ordinis. Vnde breui postea deditionem fecit Hermannus, cesseruntque omnia Henrico, qui subito, Allemanniã pacatã, anno sequenti, in Italiam, quæ post Othonis obitum penè tota defecerat, exercitum per Tridentinos transportauit. Modoetiã coronam regni Italici accepit, Ticinum obsistere ausum oppugnauit, & captum incendit, reliqua Insubriæ subegit. Reuocatus hinc in Germaniam, propter quorundam factiones circa Idus Iunias Tigurum venit. Eo quoque ad eum Virandus profectus regaliorum, & ceterorum bonorum Monasterij sui confirmationem obtinuit. Henriciani diplomatis hæc est forma.

*I*N nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Henricus, diuinã fauente clementiã, Rex. Si circa loca DEO dicata pro Ecclesiastica facultatis augmento, intendimus, diuinum nobis profecto remunerationis præmium profuturum credimus. Ideo nouerit fidelium nostrorum tam presentium, quam & futurorum industria, Qualiter venerabilis abbas nomine Virand, qui & verendus, nostræ Serenitatis excellentiam deprecatus est, Quatenus Ecclesiam sanctæ MARIE in Cella MEGINRADI heremita constructam, Deoq, dicatam subleuaremus nostrorum exemplo antecessorum. Cuius precibus, & ipsius interuentu assensum præbentes, ob æternam remunerationem, & remedium animæ nostræ, quandam curtem regij quondam iuris, prælibatæ Ecclesiæ, seruisq, DEI secum per succedentia tempora in præfata Cella DEO, ad regulam sancti

Benedicti

Benedicti, militantibus, per hoc preceptum confirmauimus, & ex integro donauimus, cum omnibus ad eandem curtem, qua Riegol dicitur, iuste, & legaliter pertinentibus, in Ducatu Allemannico, in Comitatu Brisichgouue, subnominatis his locis Endinga, Vuenelinga, Chenzinga, Deninga, Burcheim, Baldinga, & cetera loca ad presatam curtem Riegol pertinentia, ubicumq; prouinciarum iacere videantur, cum omnium eorum usu, cum Ecclesiis, & earum decimis, cum omnibus censibus, adificiis, mancipiis utriusq; sexus, agris, pratis, uinetis, siluis, forestibus, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, exitibus, & redditibus, cultis, & incultis, que sitis, & inquirendis, & omnino ita, sicuti quondam Guntramus visus est habere in sua investitura, quando ob reatum regia infidelitatis, publicâ sententiâ conuictus extitit, & omnis eius proprietates, iusto iudicio, in regalem munificentiam, & potestatem legaliter dijudicata est. Iussimus quoque hoc preceptum inde conscribi, per quod volumus, firmiterque iubemus, ut præmemorati monachi, omnesque successores illorum absq; ullius contradictione perpetuo libero inde fruantur arbitrio sibi habendi, aut Ecclesiastico more commutandi. Et ut hac auctoritas nostra stabilis inrefragabiliter conseruetur, manu nostrâ propriâ subitus eam firmauimus, & sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

Signum Domini Heinrici inuictissimi regis.

Egilbertus Cancellarius vice Vuilligisi archicapellani recognoui.

Data xv. Kalend. Iulij, Anno Dominice Incarnationis. M. llll. Indictione x. Anno vero Domini Heinrici secundi Regis lll. Actum in Zurich. In DEI nomine. Feliciter. Amen.

Obierat paullo ante i v. scilicet Nonas Mar. Hermannus II. dux Allemanniæ, in cuius vicem Allemanniæ imperare iussit rex Hermannus III. filium admodum adolescentem. Erat regis consobrinus. Heinrici enim mater Gisila,

& Hermanni Gerbirga sorores erant Cunradi Burgundiæ regis filia. Tiguro per Allemanniam in Saxoniam contendit, ubi aucto, & confirmato exercitu, in Bohemiam peruenit, Boleslaum ducem subiugauit, contra Sclauos quoque pugnavit. Anno sequenti fames magna totam Germaniam pervasit, & inde pestilentia. Fuere, eo tempore, qui de cælo literas accepisse profiterentur certis conditionibus plenas, quarum obseruatione ira diuina mitigari posset. Super ijs Synodus habita condemnauit. Siluestro secundo successit Ioannes xviii. & quinto post mense Ioannes xix. Huic quoque anno millesimo septimo, aut, vt vult Baronius, nono, Sergius i v. substitutus est, tantæ prudentiæ, vt, toto pontificatu, nihil deprehendi potuerit quo merito reprehendatur. Principes Italiæ contra Saracenos sollicitauit, qui Siciliam eorum è manibus extorserunt, & multa alia eximia cum laude tentarunt, nonnulla pariter obtinuerunt. Anno millesimo duodecimo obiit Hermannus iiii. dux Allemanniæ Kalend. Aprilis. Cæsar ducatum dedit Ernesto I. qui Hermanni sororem Gisclam matrimonio habebat. Erat Ernestus Adelberti Austriæ marchionis frater vterinus. Eodem quoque anno Sergio i v. successit Benedictus v iiii. Anno millesimo decimo tertio Henricus & Benedicti pontificis precibus, & Maurorum, qui in fauorem Græcorum Calabriam inuaserant, tyrannide, in Italiam cum exercitu tetendit, in Insabria hiberna habuit, quibus transactis, Romam, anno sequenti, profectus, ab eodem Benedicto coronam Imperialem accepit v i i. kalend. Mai. Inde exercitum contra Mauros duxit eosque breui Italiâ expulit. Troiam ab Bubagano recens conditam, & Græco milite firmatam, obsedit, & per ditionem obtinuit. Anno millesimo decimo quinto, Adelbero Comes Ernestum Allemanniæ ducem in venatione, dū feram appetit, fortuito telo traiecit pridie kalend. Iunij. Imperator filium Ernestum ii. succedere voluit. Gisela vidua cum Cunrado Franconiæ duce, qui postea imperauit, nuptias secundas iniit. Anno millesimo decimo octauo Henricus Imperator ex Polonico bello redux Francofurti natales dies

cum

cum multis principibus peregit. Ibidem denuò, tamquam Imperator, VIRANDI, & Monasterij nostri priuilegia, & bona sita in Comitatus Brisiano, Tigurino, Lintsgouienfi, Turgouienfi, Rhetiensi, cum eorum omnium iure, & iurisdictione, amplo, & egregio, nostroque monasterio meritò semper profuturo diplomate sanxit, & confirmauit Nonis Ianuarij. Eius infra est exemplare.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Henricus diuinâ fauente clementiâ, Romanorum Imperator Augustus. Ubicumque locorum Ecclesias à Christi fidelibus constitutas vel aliquid addendo, vel addita confirmando inuamus; nobis id, regniq; nostri stabilitati prodesse minime dubitamus. Quapropter nouerit omnium DEI fidelium, nostrorumque vniuersitas, Qualiter nos, pro remedio animæ nostræ, parentumque nostrorum, res Ecclesiasticas, à quibusdam ob æterna recompensationis spem, loco sancto, MEGINRADES Cella nuncupato, fratribus ibidem sub abbatum regularium monachico moderamine manentibus, & in posterum successuris, DEI seruitio commodius sustentandis concessas, præcepti auctoritate Imperatorij confirmamus, cum locis diuersè illò contraditis, ac huiuscemodi subnominatis, id est, iuris sui curtem Riegol vocatam, cum locis Endinga, Vuenelinga, Chenzinga, Deninga, Burchheim, Baldinga, Rottvilla, Bezenhusa, Berga, Bochesberg, Zarda, Liela, Tutesuelda, Richtlinga, Birinheim in Ducatu Alamannico, in pago Prîsgouue sitis. In Comitatu etiam Zurichgouue loca Vffanouua, cum ceteris eò pertinentibus, id est, Pfassinghoua, Uringhoua, Ecclesiaque in Meiolano sita, ceteraque illuc, vbiicumque terrarum iacere videantur; pertinentia, cum dote eiusdem Ecclesiæ, Utonuuilare, Chaltenbrûna, Steuia, Baechui, Lindououa, Rutin, Manidorff, EZzililinga, Friginbach, Raprechtesuuilere Sibbineihha, Vuagana, Ruttin, Vuanga, Sutes. In Comitatu Turgouue Aschenza, cum sibi pertinentibus locis. In Comitatu Linzîsgouue Titzînsdorff, Turinga, Rutin. In Comitatu Rhetia, Quadrauedes, Meiles,

Senouio, Enslina, NeZudra, Cise, Vallis Trusiana, Campesia. Hac quippe omnia cum singulis eorum appertinentiis, id est, utriusque sexus mancipiis, adificiis, terris cultis, & incultis, siluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, molendinis, mobilibus, & immobilibus, piscationibus, vinetis, alpibus, censibus, placitis, seruitiis, vijs & inuis, exitibus, & reditibus, quasitis, & inquirendis, forestibus, & cum omnibus, ita vt ab antecessoribus nostris regibus, siue Imperatoribus, vel à quibuslibet ceteris, eidem Ecclesia sanctissime Matris DEI MARIE, abbatis, fratrumq, vsui proprio condonata, sub nostra excellenti auctoritate firmamus. Eà scilicet ratione, vt, omnium inquietudine circa hæc penitus semotâ, nullus aliquo potestatis iudiciariæ præditus regimine, easdem iam dictas res nec aliquatenus molestare, vi rapere, inaniter disperdere, seruitia inde in quacumq, re exigere, vel aliquid iniuria familiis eorum intus, vel foris, aut capitalibus censualibus inferre præsumat, nec ad seruitia iniqua constringat, vel, aut sua tollendo, aut inique exprimendo, vel à fratrum iam dictorum continuo seruitio aliquatenus deducendo, vel impediendo conflagat. Et vt hoc nostrum præsens præceptum cunctis sanctæ DEI Ecclesie filiis à modo, & deinceps firmitus, stabilisq, viuis, & successuris credatur, ac certificetur hanc chartam inscribi iussimus, propriaque manu subtus firmatam sigilli nostri impressione iussimus consignari.

Signum Domni Heinrici Romanorum inuictissimi Imperatoris Augusti.

Guntherius Cancellarius vice Erchenbaldi Archicapellani recognoui.

Data Non. Ianuar. Indictione I. Anno Dominice Incarnationis M. xviii. Anno vero Domini Heinrici II. regnantis xvi. Imperij autem iiii. Actum Franckensfurt. Feliciter. Amen.

Paucis post mensibus scilicet xvii. Kalend. Iunias obiit Lambertus Constantiensis Episcopus. Suffectus Rut-

hardus.

hardus. Francofurto Babenbergam Cæsar profectus, Benedictum pontificem, qui Romanorum turbis, & dissidijs euandis in Germaniam secesserat, magnâ sollennitate suscepit, habitumq; per aliquot menses, & donatum splendidissimè Tigurum vsque in Italiam redeuntem profectus est. Tiguri audiendis Allemanniæ, & Insubriæ legationibus moras facientem accessit Virandus, instititq; precibus vt siluas, & montes nonnullos monasterium circumiectos, qui vasti, & inuij, omniquè humano cultu expertes, & ideo regiæ dominationis essent, Monasterij sui esse vellet, & iuberet; facile què ab pietissimo, liberalissimoq; principe impetrauit, qui non modo, tali donatione, & isthoc pacto, Monasterij ab Hermanno I. Allemanniæ duce constituta pœria ampliuit, sed eius iurisdictionis terminos certos posuit, & stabiluit, ita vt extali, & tanto beneficio suo, & fauore, inter conditores nostros hic innocentissimus Imperatorum jure meruerit collocari. Priuilegium hic adposui.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Henricus, Diuinâ fauente clementiâ, Romanorum Imperator Augustus. Si loca diuinis obsequiis mancipata aliquâ largitate exaltauerimus, certos nos de aternæ remunerationis exaltatione esse speramus. Quapropter omnium sanctæ DEI Ecclesiæ, nostrorumque fidelium, presentium, scilicet, ac futurorum nouerit vniuersitas, Qualiter venerabilis abbas Vuirand de Monasterio MEGINRADES Cella dicto, quod constructum, & consecratum in honore sanctæ Genitricis MARIE, sanctique Martyris Maurity, nostram adiit Celsitudinem, rogans, & petens, vt quandam siluam inuiam, & incultam, & ob hoc nostræ proprietati deputatam, in qua presatum Monasterium situm est, ad vsus, si quilibet haberi poterit, fratrum in predicto monasterio DEO famulantium concederemus. Cuius petitioni ob remedium anime nostræ, dilectæque coniugis nostræ Kunigundæ Imperatricis Augustæ, assensum præbentes, iam dictam siluam cum marcha subnominandis locis dete rminata, id est, alpem Silæ vocatam, de qua fluuius Si-

laba di-

laha dictus currit, & à prædicta alpe in australi plaga vsq; ad locum Rumannes Vangi dictum: ab ipso, vsque ad fontem fluuioli Alba vocati, cum vicina Albetal dicta, adiacentique monte Albecca. In orientali autem eiusdem alpibus latere, vsq; ad summitatem rupis Stageluuant nominata. Et ab eodem vsque ad rupem Rotenslub dictam. Quidquid, ijs interiacet terminis, totum cum omni utilitate rerum, hoc est, alpibus, siluis, vallibus, paludibus, planiciebus, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, piscationibus, venationibus, vijs, & in vijs, cultis, & incultis, exitibus, & reditibus, questis, & inquirendis, & cum qua dici, vel scribi possint, cum omnibus utilitatibus ad prædictum monasterium, per hanc Imperialem paginam, perpetualiter tenendum contradimus. Et ut nostre donationis auctoritas stabilis semper, & ab omnibus illaesa, inconvulsa, iugi permaneat auo, hanc chartam inde conscriptam propria manus subscriptione confirmantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum Domni Heinrici invictissimi Romanorum Imperatoris Augusti.

Guntherius Cancellarius vice Erchenbaldi Archicancellarij notavit.

Data IIII. Non. Septemb. Indictione I. Anno Dominice Incarnationis M. XVIII.

Anno vero Domini Heinrici II. regnantis XVII. Imperij autem V. Actum in Turego. In DEI nomine. Feliciter. Amen.

Tiguro Basileam concessit, consecrationi Basilicæ DEIPARÆ MATRIS à se conditæ cum multis episcopis, & principibus interfuit v. Idus Octob. Anno millesimo XXI. Imperator tertiam in Italiam expeditionem fecit. Anno millesimo vicesimo secundo Campaniam subiugavit, Beneuentum dedicatione, Trojam vi expugnauit. In obsidione Troiæ æstu anni, & æris corruptione exorta pestilentia multos è Cæsariensis absumpsit, inter quos Ruthardus Constantiensis episcopus.

A. D. X.

CIO.

XXI.

A. D. X.

CIO.

XXII.

pus. Troiæ is sepultus est. Anno post eum accepit Episcopatum. Domitâ Calabriâ, & Apuliâ, cum Nordmannis, quorum operam præterito bello probârat, Henricus sedes, quas petierant, concessisset, Romam triumphabundus, & mox in Germaniam redijt. Anno millesimo vicesimo quarto mortem obiit. III. kalend. Martij Benedictus, cui pridie kal. eiusdem mensis suffectus Ioânes x x. eius frater germanus. Eum secutus quoque Imperator Henricus, III. Idus Iulij, Bambergæ, quam urbem Episcopalem condiderat, & suis, vxorisque Cunigundæ opibus locupletarat. Ad D. Petri sepultus est. Cum ex se per perpetuâ, quam coluit, castimoniam natum heredem non relinqueret, habito Principum consilio, Cunradum Vormatiæ, & Franciæ orientalis, vnde Salicum nonnulli vocât, ex Sala eius prouinciæ flumine, ducem, successorem sibi designauit, egregiæ fortitudinis, & libertatis principem. Aribo Maguntiacensis antistes, VI. Idus Septembris inunxit. Nata continuo ex hac lectione imperio dissidia, turbantibus præcipuè Cunrado Carinthiæ duce, Casaris patruuele, & Ernesto priuigno Allemanniæ rector, Guelphone quoque Comite Altorffensi potentissimo, & pluribus alijs ad partes vocatis, sed quos breui incredibili prudentiâ, & felicitate Cunradus compescuit. Hinc, anno sequenti, præcedentium regum, & Imperatorum vestigia secutus, nihil prius habuit, quâ vt suæ aduersus DEIPARAM Virginem, locumque quem elegit ipsa Heremitarum, animum, & adfectum aliquâ benivolentiâ, & liberalitate, omnibus patefaceret, haut absque Gisela coniugis insigni pariter pietate, & in eandem Heremum reliquarum Reginarum, & Augustarum exemplo, propensione, accedente ad id Aribonis Maguntiacensis eximij præfulis voto, & petitione, non paucas in Sequanis Steinbrunnæ sitas possessiones nostro monasterio donauit, & eius rei hoc testimonium extare voluit.

A. D. N.

CII.
XXIV.

A. D. N.

CII.
XXV.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Cunradus, Diuinâ fauente clementiâ, Rex. Si venerabilia sanctorum loca aliquibus bonis nostris ditare, ac sublimare studueri-

mus, pro-

mus; profecto anima nostra remedium, regnoque nostro stabilitatem inde promereri confidimus. Quapropter nouerint omnes Christi nostriq; fideles, Qualiter nos interventu, ac petitione dilectissima coniugis nostrae Gisilae reginae, & Aribonis Moguntina sedis venerabilis archiepiscopi, ad Monasterium monachorum MEGINRADES Cella in honore sanctae MARIÆ DEI Genitricis, sanctiq; Mauritiij constructum, mansos XII. sitos in loco Steinebruno in pago Suntgouue, in Comitatu Ottonis, cum omnibus ad eosdem mansos pertinentibus, cum mancipiis utriusq; sexus, cum arceis, & edificiis, agris, campis, terris cultis, & incultis, vineis, pratis, pascuis, siluis, venationibus, aquis, aquarumue decursibus, piscationibus, molendinis, viis, & in viis, exitibus, & redditibus, quasitis, & inquirendis, seu cum omni utilitate, quae ullo modo inde provenire poterit, donamus, atque de nostro iure in usum fratru, ibidem DEO seruientium omnino transfundimus: Ea videlicet ratione, ut praedicti monasterij abbas Vuirunt, sibiq; post hinc succedentes, liberam habeant potestatem quidquid sibi placuerit, ad utilitatem monasterij monachorum faciendi, quatenus illos magis delectet pro nostra, & coniugis nostrae vita deuotius supplicare. Et ut hac nostrae traditionis auctoritas stabilis, & inconuulsa omni permaneat aeo, hanc paginam inde conscriptam, manu propria, roborantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum Domni Cunradi regis invictissimi.

Vdalricus Cancellarius vice Aribonis archicapellani recognoui.

Data Idus Iulij. Indictione VIII. Anno Dominicae Incarnationis. M. XXV. Anno autem Domini Cunradi secundij regnantis I. Actum Spira. Feliciter. Amen.

Manfum interpretatus est Iureconsultorum nostrae aetatis facile princeps Iacobus Cujacius fundum unde quis se, & familiam suam tueri satis comode potest, ac praeterea vectigal, siue censum domino referre, & quod veteres dixere heredium. Recte. Ut ex praecedenti etiam diplomate satis patet. A manso

vero

vero mansuarij, quos alij manentes, siue commanentes vocant, id est villici. Itali nunc quoque massarios dicunt. Et massa quoq; pro manso apud Cassiodorū, & Gregorium M. in epistolis. Addere hoc loco eius vocabuli interpretamentum libuit, quando eius, alias haut vulgo noti, sæpius postea mentio erit. Annus millesimus vicesimus sextus nobilis fuit morte duorum eximiorum antistitum. Prior fuit abbas Virandus, verè, vt Heinricus I. Imper. argutè, & piè suo diplomate nominavit, *Verendus*, & *Venerandus*. Obijt is III. Idus Februarij. Erat ex Comitibus Vandelburgi, quod Castellum in Castris situm, Limago, vbi lacum Tigurinum influit, adjacet, vnde & Comites etiã Castrenses vocantur monumentis Schœnisi, quod nobile monasterium etiam ipsi condidere. Paulo post morte Comites iidem Vandelburgenses defecerunt, & eorū Comitatus pervenit ad Comites Lëtzburgi, ex cognatiōe: & Rapersuillæ veteris, propter agnationē, diuiso ita Comitatu, vt major tamē pars Rapersvillanis remanserit. Post eum Monasterij regimen iniit 1x. Kal. Martias Embrius ex Baronib^o ab Abensperg Bauarus, qui & ipse Virandi hoc epitaphio memoriã coluit, & honoravit.

Abba Virand tumbam sacris dicat ossibus istam

Sanguine sat celsus, moribus athereus.

Ingenio clarus, mitis, pius, atq; benignus,

Indeq; percelebris Regibus, & populis.

Sexcies hic quinis Heremi pater exstitit annis,

Valde sibi durus, discipulis placidus.

Idibus ast ternis Februi sustollitur astris,

Nunc Sabaoth Domino pangit Osanna polo.

Virandum breui adsecutus Aimo Constantiensis episcopus. Esse enim desijt xiv. kal. April. Quibus electionis noui Episcopi cura incūbebat, cum vndiq; circumspexissent, generis splendore, sed in primis vitæ integritate tali officio dignum nostro Heremitarū in collegio reperere, Varmannumq; ex Comitibus Kiburgi, & Dillingæ, Mangoldi, qui tum Comitatum Dillinganum regebat, fratrem, Episcopum omnibus suffragijs salutauerunt.

A. D. N.

CID.

XXVI.